

LATÍN (0590\_003) — PRUEBA PRIMERA — PARTE PRÁCTICA

TEXTO PARA TRADUCIR SIN DICCIONARIO



M. Tulli Ciceronis *Ad familiares* 5.12.1-3 [Shackleton Bailey *Ad familiares* 22]


*Scripta in Cumano, ut videtur, pridie Idus Aprilis a.V.c. 698*

*M. Cicero s. d. L. Lucceio Q. F.*

*Coram me tecum eadem haec agere saepe conantem deterruit pudor quidam paene subrusticus, quae nunc expromam absens audacius; epistula enim non erubescit. Ardeo cupiditate incredibili neque, ut ego arbitror, reprehendenda, nomen ut nostrum scriptis illustretur et celebretur tuis; quod etsi mihi saepe ostendisti te esse facturum, tamen ignoscas velim huic festinationi meae; genus enim scriptorum tuorum, etsi erat semper a me vehementer exspectatum, tamen vicit opinionem meam meque ita vel cepit vel incendit, ut cuperem quam celerrime res nostras monumentis commendari tuis; neque enim me solum commemoratio posteritatis ad spem quandam immortalitatis rapit, sed etiam illa cupiditas, ut vel auctoritate testimonii tui vel indicio benevolentiae vel suavitate ingenii vivi perfruamur. Neque tamen, haec cum scribebam, eram nescius, quantis oneribus premerere susceptarum rerum et iam institutarum; sed, quia videbam Italici belli et civilis historiam iam a te paene esse perfectam, dixeras autem mihi te reliquias res ordiri, deesse mihi nolui, quin te admonerem, ut cogitares, coniunctene malles cum reliquis rebus nostra contexere an, ut multi Graeci fecerunt, Callisthenes Phocicum bellum, Timaeus Pyrrhi, Polybius Numantinum, qui omnes a perpetuis suis historiis ea, quae dixi, bella separaverunt, tu quoque item civilem coniurationem ab hostilibus externisque bellis seiungeres. Evidet ad nostram laudem non multum video interesse, sed ad properationem meam quiddam interest non te exspectare, dum ad locum venias, ac statim causam illam totam et tempus arripere, et simul, si uno in arguento unaque in persona mens tua tota versabitur, cerno iam animo, quanto omnia uberiora atque ornatiora futura sint. Neque tamen ignoro, quam impudenter faciam, qui primum tibi tantum oneris imponam — potest enim mihi denegare occupatio tua —, deinde etiam, ut ornes me, postulem. Quid, si illa tibi non tanto opere videntur ornanda? Sed tamen, qui semel verecundiae fines transierit, eum bene et naviter oportet esse impudentem. Itaque te plane etiam atque etiam rogo, ut et ornes ea vehementius etiam, quam fortasse sentis, et in eo leges historiae negligas.*

LATÍN (0590\_003) – PRUEBA PRIMERA – PARTE PRÁCTICA

TEXTO EN PROSA PARA TRADUCIR CON DICCIONARIO (COMENTARIO SINTÁCTICO Y DE REALIA)



P. Cornelii Taciti *Historiae* 1.49-50

*Galbae corpus diu neglectum et licentia tenebrarum plurimis ludibriis vexatum dispensator Argius e prioribus servis humili sepultura in privatis eius hortis contexit. caput per lixas calonesque suffixum laceratumque ante Patrobi tumulum (libertus in Neronis punitus a Galba fuerat) postera demum die repertum et cremato iam corpori admixtum est. hunc exitum habuit Servius Galba, tribus et septuaginta annis quinque principes prospera fortuna emensus et alieno imperio felicior quam suo. vetus in familia nobilitas, magnae opes: ipsi medium ingenium, magis extra vitia quam cum virtutibus. famae nec incuriosus nec venditator; pecuniae alienae non adpetens, suae parcus, publicae avarus; amicorum libertorumque, ubi in bonos incidisset, sine reprehensione patiens, si mali forent, usque ad culpam ignarus. sed claritas natalium et metus temporum obtentui, ut, quod segnitia erat, sapientia vocaretur. dum vigebat aetas militari laude apud Germanas floruit. pro consule Africam moderate, iam senior citeriorem Hispaniam pari iustitia continuit, maior privato visus dum privatus fuit, et omnium consensu capax imperii nisi imperasset.*

*Trepidam urbem ac simul atrocitatem recentis sceleris, simul veteres Othonis mores paventem novus insuper de Vitellio nuntius exterruit, ante caedem Galbae suppressus ut tantum superioris Germaniae exercitum descivisse crederetur. tum duos omnium mortalium impudicitia ignavia luxuria deterrimos velut ad perdendum imperium fataliter electos non senatus modo et eques, quis aliqua pars et cura rei publicae, sed vulgus quoque palam maerere. nec iam recentia saevae pacis exempla sed repetita bellorum civilium memoria captam totiens suis exercitibus urbem, vastitatem Italiae, direptiones provinciarum, Pharsaliam Philippos et Perusiam ac Mutinam, nota publicarum cladi nomina, loquebantur. prope eversum orbem etiam cum de principatu inter bonos certaretur, sed mansisse C. Iulio, mansisse Caesare Augusto victore imperium; mansuram fuisse sub Pompeio Brutoque rem publicam: nunc pro Othone an pro Vitellio in templis ituros? utrasque impias preces, utraque detestanda vota inter duos, quorum bello solum id scires, deteriorem fore qui vicisset. erant qui Vespasianum et arma Orientis augurarentur, et ut potior utroque Vespasianus, ita bellum aliud atque alias clavis horrebant. et ambigua de Vespasiano fama, solusque omnium ante se principum in melius mutatus est.*

- 
- Comentario sintáctico de los fragmentos resaltados en negrita.
  - Comentario de *realia* de las palabras o grupos de palabras subrayados con línea simple.

LATÍN (0590\_003) – PRUEBA PRIMERA – PARTE PRÁCTICA

TEXTO EN VERSO PARA TRADUCIR CON DICCIONARIO (COMENTARIO FONÉTICO, MORFOLÓGICO Y MÉTRICO)



**M. Val. Martialis Epigrammata 6.64**

*Cum sis nec rigida Fabiorum gente creatus  
nec qualem Curio, dum prandia portat aranti,  
hirsuta peperit rubicunda sub ilice coniunx,  
sed patris ad speculum tonsi matrisque togatae  
filius, et possit sponsam te sponsa uocare, 5  
emendare meos, quos nouit fama, libellos  
et tibi permittis felicis carpere nugas,—  
has, inquam, nugas, quibus aurem aduertere totam  
non aspernantur proceres urbiske forique  
quas et perpetui dignantur scrinia Sili 10  
quiique uidet propius magni certamina Circi  
laudat Auentinae uicinus Sura Diana,  
ipse etiam tanto dominus sub pondere rerum  
non deginatur bis terque reuoluere Caesar.  
Sed tibi plus mentis, tibi cor limante Minerua  
acrius et tenues finixerunt pectus Athenae.  
Ne ualeam, si non multo sapit altius illud,  
quod cum panticibus laxis et cum pede grandi  
et rubro pulmone uetus nasisque timendum 20  
Audes praeterea, quos nullus nouerit, in me  
scribere uersiculos miserias et perdere chartas.  
At si quid nostrae tibi bilis inusserit ardor,  
uiuet et haerebit totoque legetur in orbe,  
stigmata nec uafra delebit Cinnamus arte.  
Sed miserere tui, rabido nec perditus ore  
fumantem nasum uiui temptaueris ursi.  
Sit placidus licet et lambat digitosque manusque,  
si dolor et bilis, si iusta coegerit ira, 30  
ursus erit: uacula dentes in pelle fatigis  
et tacitam quaeras, quam possis rodere, carnem.*

**M. Val. Martialis Epigrammata 6.65**

"Hexametris epigramma facis" scio dicere Tuccam.

Tucca, solet fieri, denique, Tucca, licet.

"Sed tamen hoc longum est." Solet hoc quoque, Tucca, licetque:

si breuiora probas, disticha sola legas.

Conueniat nobis ut fas epigrammata longa 5  
sit transire tibi, scribere, Tucca, mihi.

- 
- COMENTARIO FONÉTICO Y MORFOLÓGICO de las palabras subrayadas.
  - MÉTRICA: mídase el *Epigramma 6.65*